

tabile, cuiuscunq; fusionis ipsum extitit in complemen-
to, & cum vicinitate & affinitate sua adhæreat suo fu-
mo naturaliter, cum inseparabili consolidatione, con-
tra impressionem ignis in ipsa hora sua, spiritualiter
corpora in sui naturam reducens.

His consideratis inuenimus inuestigatione nostra se-
ptem proprietates rerum in nostro lapide necessarias
& opportunas: Et sunt hæ: oleagineitas, materiæ tenui-
tas, affinitas, radicalis humiditas, puritas, claritas, Terra
figens, & Tinctura.

Prima verò differentiarum proprietas est ipsa Olea-
gineitas, dans in proiectione vniuersalem fusionem &
apertionem medicinæ. Nam primum quidem necessa-
rium est post proiectionem medicinæ, est ipsius medi-
cinæ subita & conueniens fusio, quæ cum oleagineita-
te naturali perficitur & inuisceratur.

Secunda est materiæ tenuitas, siue ipsius subtilitas
spiritualis, tenuis siue fluens in fusione ad instar aquæ,
penetrans in profundum rei alterabilis. Quæ secundo
post fusionem medicinæ, necessaria est ingressio eius
immediatè.

Tertia est Affinitas siue vicinitas, inter Elixir & rem
transmutandam, dans inhærentiam in obuiationem sui
similis & retentionem. Quia tertio post medicinæ in-
gressionem, immediatè adhærentia conueniens est &
necessaria.

Quarta est radicalis Humiditas & ignea, congelans
& consolidans partes retentas cum adhærentia sui si-
milis, & vnione omnium partium consimilium insepa-
rabiliter in æternum: quia quarto post adhærentiam,
opportuna est partium consolidatio sua radicali humi-
ditate viscosa & necessaria.

Quinta est Puritas & Claritas mundificata, dans
splendorem eminentem in combustionem existenti, non
adiunctis post consolidationem partium putrificata-
rum quæ relinquuntur, quòd ignis agens actualis ha-
beat comburere omnes superfluitates extraneas non
consolidatas: quare sequitur putrefactio immediatè,
& est necessaria.

Sexta est Terra figens, temperata tenuis, subtilis, si-

cap. 2.